



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Dvb. 1. Quid sit cambium & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

De Cambiis.

Habet Dubitationes II.

Cambium magnam habet affinitatem cum contractu emptionis, id eod proxime post emptionem & venditionem, & post contractum censuarium (qui est species emptionis) dicendum est de cambiis.

DVBITATIO I.

Quid sit cambium, & quodplex.

NOTANDVM est, Cambium generatim idem esse quod permutationem. cambire enim est permutare. sed ex vsu vulgato solum accipitur pro permutatione numismatum. & hoc modo hic loquimur de cambio. soletque sic definiri, Cambium est permutatio pecunie pro pecunia. Nomine permutationis generatim significatur omnis contractus onerosus. nam in his omnibus est quedam commutatio, vt patet in emptione, mutuo, locatione & similibus. verum in proposito permutatio accipitur proprie, vt distinguitur a contractibus nominatis; vt nihil sit aliud quam vltro citroque datio rei pro re, vel pecunie pro pecunia. hoc modo est genus ad cambium, & ad permutationem rerum.

Cambium quid.

Permutatio.

Mutuum differre a cambio.

Res existens cum non existente futura potest permutari.

citum tamen est facere pactum, & inchoare ipsam permutationem, tradendo rem presentem, etiam si altera nondum sit. Si tamen neutra existat, non potest quidem inchoari permutatio, cum nulla possit fieri traditio. potest tamen fieri conuentio de permutando, vt patet ex L. 1. §. de rerum permutatione; hac enim perficitur consensu.

Petes, Ad quam speciem contractus pertinet cambium?

Respond. Possit referri ad varios. Primò enim ex vi nominis pertinet ad contractum permutationis, tamquam eius species, vt dictum est; sine permutentur pecunie diuersorum generum, siue diuersorum locorum, nempe presentem cum absente. Secundo, Pertinere potest ad contractum emptionis & venditionis. Ita Caietanus Opusc. de cambiis cap. 7. quod habetur t. 2. tract. 7. Siluester Vltura 4. quæst. 8. Bonifignius tract. de cambiis cap. 6. num. 7. quod maximè consentaneum est vsui mercatorum, qui pecuniam absentem spectant tamquam mercem, eamque presentem pecunia tamquam pretio emunt & vendunt: nam pecunia non solum est pretium & mensura rerum venalium; sed etiam potest esse merx venalis, tum ratione materiae, quæ melior vel deterior est; tum ratione commoditatis conseruandi, deferendi, numerandi; tum ratione distantie localis, vt infra patebit. Tertio, Ad contractum locationis & conductionis operarum; præsertim si loquamur de cambio, in quo campfor accipit prior, vt alibi reddit: tunc enim censetur pecuniam alterius ex hoc loco in alium traicere; quæ opera est pretio digna. dum verò hic dat vt alibi accipiat; non ita proprie traicit alterius pecuniam, sed permutat presentem cum absente, quæ minoris æstimatur; quia vt presentem fiat, traicere debet. Quarto, Referri potest ad contractum innominatum, do vt des. Ita Nauarr. cap. 17. n. 294. sed parum refert ad quod genus contractus pertineat, modò seruetur æqualitas inter datum & acceptum, vt rectè docet idem Nauarr.

Cambium refertur ad varios contractus.

Pecunia vis est merx.

Diuiditur autem à DD. cambium in reale, & sicum. Cambium sicum vocatur, quod non est verum cambium, sed fingitur esse, eod quòd imaginem quamdam cambij præferat; vt quando habetur sola ratio temporis, aut quando fingitur alibi solutio facienda, & fit eodem loco cum vsura. dicitur sicum, quia caret humore, seu iusto titulo ad pariendum lucrum.

Diuisio cambij. Sicum.

Reale est legitima permutatio pecuniarum, ex qua iuste aliquid lucri capi potest. Hoc subdividitur in minutum & locale. Minutum est permutatio numismatum diuersæ rationis & speciei, vt aureorum cum argenteis, argenteorum cum greis, maiorum cum minoribus, arrosorum cum integris, veritorum cum legitimis, antiquorum cum nouis, patriorum cum externis.

Reale. Minutum.

Locale cambium (quod etiam vocatur cambium locale per litteras) est quando permutatur pecunia presentem cum absente.

D V B I -